This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

769z
S358
UC-NRLF
$B 14 279
YC 00895


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

T693
S358

UNIV. OF CALIFORNIA

QUAESTIONUM IN CICERONIS PRO M. FONTEIO ORATIONEM CAPITA QUATTUOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS REINHOLDUS SCHNEIDER

SAXO CALLNBERGENSIS.

GRIMAE,

TYPIS C. ROESSLERI.

1876.

UNIV. OF
CALIFORNIA

UNIV. OF
CALIFORNIA

PATRI CARISSIMO

AUGUSTO SCHNEIDER

ORDINIS SAXON. ALBERT. ANIMOS. EQUITI

D. D. D.

580422

UNIV. OF
CALIFORNIA

UNIV. OF CALIFORNIA

I.

Quaedam de familia Fonteia. De M. Fonteii triumviratu, quaestura, legationibus Hispaniensi et Macedonica, aedilitate, praetura.

M.[1]) Fonteius plebeia quidem (nam P. Fonteio adoptandum se dedit P. Clodius, ut tribunus plebis fieri posset[2]), sed antiqua gente oriundus erat, quam Tusculo ex municipio profectam et in rerum gestarum monumentis incisam ac notatam et continuis praeturis insignem fuisse auctor est Cicero[3]). Et profecto ne Ciceronem, quippe M. Fonteii defensorem, nimiis eius familiam laudibus exornare putemus, T. Livii prohibemur testimoniis[4]), quibus saepius et minores et curules magistratus gessisse Fonteios comprobatur.

Pater Fonteii[5]) legatus Servilii proconsulis ao. 663/91 Asculi cum illo omnibusque Romanis, qui tum ibi erant

---

1) falso Manii praenomen ei imponit Mommsenus: Römische Gesch. III, 224, 6. Aufl. et: Geschichte des römischen Münzwesens, Berl. 1860, p. 383.

2) Cic. de dom. §. 34 sqq., 77, de harusp. resp. 57.

3) pr. Fonteio §. 41 [31].

4) cfr. XXV, 34 sqq., XXVI, 17, XL, 59, XLI, 15, XLIII, 11, 15 XLIV, 17, XLV, 44.

5) Reinholdus Klotzius in: Cicero's sämmtliche Reden, kritisch berichtigt u. erläutert, Leipz. 1835 sqq., II, p. 559 idem dat illi ac filio praenomen. Iniuria, ut mihi quidem videtur, nullo enim loco Fonteii patris praenomen commemoratur.

interfectus est, cum Servilius Asculanos, qui ludorum causa convenerant, ob defectionem eos incusans, ut in societate Romana remanerent, hortaretur. Quo facto bellum sociale exarsit.[6]) Mater Fonteii et Fonteia soror, virgo Vestalis, eo anno, quo repetundarum ille accusatus a Cicerone defensus est — annum 685/69 eum fuisse paulo infra demonstrabimus — supererant, cumque eas solum in extrema oratione, ut iudicum misericordiam concitet, Cicero lacrimantes et populi Romani fidem implorantes faciat[7]), neque uxorem neque liberos illo tempore habuisse Fonteium perspicuum est. Eandem ob causam P. illum Fonteium, qui „imberbus adulescentulus, annos viginti natus, etiam minor“[8]) P. Clodium anno 695/59 adoptavit, si quis Marci filium fuisse existimet, opinione labitur. Cum aliqua probabilitate statui potest, si qua in hac re coniectura uti licet, P. Fonteium fuisse C. Fonteii filium, qui legatus in Gallia a M. Fonteio propraetore cum C. Annio Bellieno viae Domitiae muniendae praepositus est[9]) quique ipse M. Fontei frater patruelis mihi videtur fuisse.

Ipse M. Fonteius cum admodum adulescens ad rem publicam accedere coepisset, primum triumvir est factus[10]). Quem magistratum primum illum gessisse ut putem non solum eo commoveor, quod Cicero defendens Fonteium primum eius magistratus mentionem fecisse videtur, sed

---

6) cfr. pr. Font. §. 41 [31]: — deinde recens memoria parentis, cuius sanguine non solum Asculanorum manus, a qua interfectus est, sed totum illud sociale bellum macula sceleris imbutum est, App. bell. civ. I, 38: *ὁ δὲ Σερουίλιος, θερμότερον ἐσδραμὼν ἐς τὸ Ἄσκλον, καὶ πανηγυρίζουσι τοῖς Ἀσκλαίοις χαλεπῶς ἀπειλῶν ἀνῃρέθη. ἐπανῃρέθη δ' αὐτῷ καὶ Φοντήϊος, ὃς ἐπρέσβευεν αὐτῷ.* Vellei. II, 15, cfr. Liv. epit. 72, Oros. V, 18.

7) pr. Font. §. 46 [36] sqq.

8) Cic. de dom. §. 34, §. 37.

9) pr. Font. 18 [8] sq.

10) ibid. §. 5.

quod saepius triumviratu primo munere functos esse Romanos P. Ovidii aliorumque exemplo confirmatur[11]).

Cum autem plures Fonteii tempore magistratus fuerint, quibus gerendis triumviri creari solebant, ea autem pars orationis, qua Cicero triumviri Fonteii crimina diluere studuit, tota perierit, ambigitur, quo triumviratu functus sit Fonteius. Atque hoc ab initio dicendum est, propter pecuniae mentionem, „in qua maxima tractanda procurandaque versatus sit Fonteius", neque de triumviratu capitali (vel nocturno), neque de aliis huius nominis magistratibus cogitari posse exceptis tribus: triumviratu coloniis deducendis et triumviratu agris dandis assignandis et triumviratu monetali.

Probe hoc perspexit B. G. Niebuhrius, cum tria nova orationis pro Fonteio fragmenta a se in codice rescripto bibliothecae Vaticanae inventa et commentariis instructa ederet[12]). Qui doctissime in utramque partem disputans haec fere dixit: Non perspicuum esse posse, utrum triumvir monetalis an coloniis deducendis fuisset Fonteius, nam in pecunia maxima tractanda procurandaque utrumque magistratum versatum esse. Triumviros autem col. ded. agros publicos vendere, privatos emere solitos esse. Et profecto probabile esse L. Cinnam — eius enim et Marii tempore triumvirum fuisse Fonteium iure putat — illo delenimento divisionis agrorum, quorum post sociale bellum maxima copia fuisset, militum atque plebis animos sibi conciliare voluisse, neque, quominus legem agrariam latam esse ab illo crederemus, obstare, quod nulla eius mentio fieret in tam ieiunis illius temporis annalibus: etiam M. Bruti colo-

11) cfr. Ov. Trist. IV, 10, 33 sq.: Cepimus et tenerae primos aetatis honores, Deque viris quondam pars tribus una fui.

12) M. Tullii Ciceronis orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio fragmenta e. t. c. ex membranis bibliothecae Vaticanae edita, Romae 1820, p. 42.

niam Campanam omnino nobis ignotam futuram fuisse, nisi Cicero eius meminisset. Neque eiusmodi assignationis vestigia manere potuisse, cum, rescissis per Sullam victorem actis Cinnae, quicunque sive in coloniis sive viritim agros accepissent, iis iterum pulsi essent, ut Sullanis militibus cederent. Sed, quamquam res certo definiri non posset Marcique Fonteii nomen in nummis non compareret, tamen, quia Cicero eum magistratus „ante oculos civium" gessisse diceret, de monetali potius, quam de agrario triumviratu se cogitare.

De Niebuhrii quidem sententia hactenus. Priusquam autem de ea deque tota re quid iudicemus, exponamus, quae alii post Niebuhrium putaverint, videamus. Duo viri huic rei operam navarunt: Klotzius[13]) et Drumannus[14]). Ac Klotzio Fonteius videtur triumvir monetalis fuisse, neque vero quibus causis fretus id censeat, profitetur. Contra Drumannus haud dubie triumvirum coloniae deducendae fuisse illum putat, eo, quod in pecunia maxima tractanda versatus sit quodque ratio ei reddenda fuerit.

Atque ut redeam ad Niebuhrii sententiam, laudandum quidem puto eum, qua erat doctrina et diligentia plures attulisse causas, cur rem in medio reliquerit, tamen miror nimis eum cautum fuisse, cum rem facile diiudicare posset. Primum enim dubium esse non potest, quin in maiore pecunia tractanda procurandaque versati sint triumviri monetales, quam triumviri coloniis deducendis. Nam triumviri monetales aeri argento auro flando feriundo praefecti erant, cumque omnis pecunia, quae in publicum prodibat, illorum fidei commissa esset, sempiternum erat periculum, ne in „furti" quod Cicero commemorat, aliusve delicti suspi-

13) l. c. p. 559.

14) Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republicanischen zur monarchischen Verfassung. Königsberg, 1834 sqq. Bd. V, p. 329.

cionem vocarentur, neve ratio iis reddenda esset. Deinde quod Cicero dicit sic rationem reddi triumviratus (et quaesturae), ut in iis rebus, quae *ante oculos gestae sint, ad multos pertinuerint*, nulla significatio furti, nulla alicuius delicti suspicio referatur, solos in triumviros monetales cadere, qui in aede Iunonis Monetae (et in Capitolio id templum situm erat) esse solebant, neque in triumviros col. ded., qui extra urbem munere fungebantur, perspicuum est. Adde, quod ex §. 34 [24][15]) *ante* legationes non nisi *Romae* eum magistratus gessisse colligi potest: facile concedes, falsam de Fonteii triumviratu opinionem habuisse Drumannum, contra Niebuhrium et Klotzium de illa recte iudicasse quidem, neque vero quid iudicaverint satis strenue defendisse.

Quaestor M. Fonteius post perlatam legem Valeriam de aere alieno, id est post annum 668/86 fuerit necesse est, cum Cicero[16]) dicat, in solvendo secundum legem Valeriam eum superiorum quaestorum morem secutum esse. Utrum autem anno 669/85 quaestor fuerit, an potius anno 670/84 eius quaestura adtribuenda sit, diiudicare non ausim.

Minus dubium est, utrum Romae quaesturam gesserit Fonteius, an extra Romam, et summo iure Niebuhrius[17]) et Klotzius[18]) (Drumannus quid de hac re senserit non profitetur) in eo mihi videntur consentire, ut Romae Fonteium quaestorem fuisse arbitrentur. Quamquam etiam hac in re nimis cautum fuisse Klotzium miror, cum diceret „sibi videri“ Fonteium Romae quaesturam gessisse. Niebuhrius

15) Si M. Fonteius turpi adulescentia, vita infami, *magistratibus, quos ante oculos vestros gessit*, convictis virorum bonorum testimoniis, legationibus flagitiose obitis, invisus suis omnibus in iudicium vocaretur, tamen e. t. c.

16) §. 1.

17) l. c. p. 43, p. 62.

18) l. l. p. 559.

autem tres attulit orationis locos, ex quibus luculentissime apparet, Romae Fonteium eo munere functum esse. Ac primum cum Cicero[19]) de negotiis disserens, quae Fonteius quaestor gesserit, dicat: „Quibus in terris gestum negotium est? *Illo, illo inquam loco, quem videtis*“, aerarium eum intelligere evidens est, in quo quaestores negotia sua gerere solebant. Cum autem aerarium supra forum eminuisse constet, cognoscis, Ciceronem Fonteii causam in *foro Romano* defendentem non melius eum locum significare potuisse, quo per anni spatium quaestoris munera obierat Fonteius. Praeterea autem Romae Fonteium gessisse quaesturam et ex eo loco concluditur, quo triumvirum monetalem eum fuisse confirmari demonstravimus[20]) et ex eo, quo ante legationem Hispaniensem et Macedonicam omnino non nisi Romae eum magistratus gessisse comprobari diximus.[21])

Quaestura administrata Fonteius *legatus in ulteriore*[22]) *Hispania* factus est, „turbulentissimo“, ut ait Cicero[23]) „reipublicae tempore, cum adventu L. Sullae maxumi exercitus [in Italiam][24]) civium dissiderent *de* iudiciis ac legibus“.

19) §. 4.

20) §. 5.

21) §. 34 [24].

22) cfr. §. 45 [35]: Constituitur [contra Gallos Fonteium accusantes] ex altera parte *ulterior* Hispania, quae e. t. c.

23) §. 6.

24) Cum codex rescriptus „cum adv. L. Sull. maxumi exercitus in Italiam civium dissiderent iudiciis ac legibus“ exhibeat, quae haud dubie corrupta sunt, duplicem emendandi rationem esse Niebuhrius putavit, alteram, quam ipse iniit, ut scriberet: „cum adventu L. Sullae in Italiam maxumi exercitus civium dissiderent de iudiciis ac legibus, alteram, quam iniit Halmius, ut scriberetur: „c. adv. L. S. max. exerc. civ. in Italia dissid.“ Equidem iudico verba „in Italiam“ non Ciceronis, sed librarii cuiusdam esse, quibus explicare studuit vocem „adventu“. Eo enim tempore, quo Fonteii causa acta est, commemorationem unius vocis „adventu“ Sullae suffecisse ad intelligendum quae Cicero dicere vellet, nemo est, qui neget.

Manifesto in errore versatur Niebuhrius[25]) — et eum inconsiderate secutos esse Drumannum[26]) et Klotzium[27]) mirandum est — qui putat „pro quaestore“ in illam provinciam legatum sese contulisse Fonteium. Primum enim quaestoris negotia subiisse Fonteium legatum ex Ciceronis verbis nullo modo concludi potest. Tum autem, quod Niebuhrius dicit „ex eius temporis usu“ colligi pro quaestore Fonteium in Hispaniam profectum esse legatum, me ignorare illum usum confiteor.

Quo anno Hispaniensi legatione functus sit Fonteius, ambigi potest, cum ex Ciceronis verbis nihil aliud nisi turbulentissimo belli civilis tempore illum legatum in Hispania fuisse appareat. Ac Niebuhrius et Klotzius eo tempore eum illud munus gessisse arbitrantur, quo Sertorius se in Hispaniam contulisset. Cautior mihi videtur esse Drumannus, qui dicit: „Nach Sulla's Rückkehr aus Asien im Jahre 83 stand er als legatus pro quaestore im jenseitigen Spanien“. Fonteius enim quamquam initio funesti illius belli, quod concitaverant C. Marius et L. Sulla, Marii partes secutus est (id elucet iam ex eo, quod illo tempore, quo dominabantur Mariani, quaestura functus est), tamen ab eo tempore, quo Sulla frustra cum L. Scipione de pace egerat (a. 671/83), ut Cn. Pompeius, M. Licinius Crassus, P. Cethegus multique alii Sullae rebus faverit necesse est. Ab illo enim tempore Sulla crudelissime contra Marianarum partium viros saeviit[28]), et si *post* illud tempus cum Marianis stetisset Fonteius, haud dubie Sulla eum proscripsisset nec postea Fonteius pro praetore Galliam administrasset. Sin autem ab anno 671/83 Sullanarum partium erat Fonteius, puto

25) l. c. p. 43.

26) l. l. p. 330.

27) l. c. p. 559.

28) cfr. App. B. C. 1, 95, Mommsen. l. c. II, p. 337, L. Langium: Röm. Alterthümer, Bd. III, 2. Aufl., p. 144 sq.

eum cum Sullanis in *Italia* contra Marianos pugnasse. Id autem bellum cum ab initio anni 671/83 (quo Sulla accessit ad Brundisium) usque ad Kalendas Novembres anni 672/82 duraret, illum existimo *post* Kalendas Novembres a. 672/82 legatione Hispaniensi functum esse fortasse sub C. Annio Lusco praetore. Eum enim Sulla, cum bello in Italia confecto copiarum non iam usus esset, in ulteriorem Hispaniam contra Q. Sertorium misit, qui a. 671/83 Hispaniam Marianarum partium praetor occupaverat[29]).

Post Hispaniensem *Macedonica legatio* consecuta est[30]). Eam autem a. 676/78 vel 677/77 vel per ambo annos obiisse Fonteium verisimillimum est sub Appio Claudio, Macedoniae proconsule. Is enim illo tempore bellum cum Thracibus gessit, qui, revulsis semel Archelai irruptione claustris, cum Dardanis aliisque finitimis barbaris miseram provinciam crudelissime vexabant[31]). Ceterum nisi putas res a Fonteio in Macedonia gestas nimis tollere Ciceronem, coniecerim, Appium Claudium bello ultro inferendo pugnasse contra Thracas, Fonteio autem Macedoniam defendendam ac custodiendam tradidisse.

Aedilitate omnino non functum esse Fonteium probabile est, non tam ob primam causam, quam huius rei attulit Niebuhrius[32]), quod hoc munus in peroratione silentio praeterierit Cicero (nam in loco aliquo orationis, qui nobis periit, de aedilitate Fonteii illum agere potuisse nemo

29) cfr. Plut. Sertor. 7, Mommsen. l. c. II, p. 331.

30) cfr. pr. Font. §. 44 [34]: — Obiicitur contra istorum [Gallorum] impetus Macedonia, fidelis et amica populo Romano provincia: quae cum se ac suas urbes non solum consilio, sed etiam manu M. Fonteii conservatam esse dicat, ut illa per hunc a Thraecum adventu ac depopulatione defensa est, sic ab huius nunc capite Gallorum impetus terroresque depellit.

31) Liv. epit. XCI: Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus proeliis vicit.

32) l. c. p. 43.

negabit), quam ob alteram, quod, cum ex lege Cornelia octoni crearentur praetores, aedilitate autem curuli et plebeia bis bini tantum quotannis perfungerentur, ab hominibus non omnino primarii ordinis sine populi offensione illud munus praetermitti poterat neque erat timendum, ne Fonteius postea in eandem invidiam incideret, in quam incidit Mamercus Aemilius, vir maximis divitiis et summa nobilitate excellens, cum aedilitate transmissa consulatum peteret[33]).

Anno 678/76 Fonteium ex Macedonia Romam rediisse existimo, ut praeturam peteret, quam anno sequenti in urbe mihi videtur gessisse. Ipso autem praeturae anno cum imperio in Galliam eum missum esse, quod Niebuhrius[34]) putat, minus probabile est. Quamvis enim difficillimis illis reipublicae temporibus interdum ipso magistratus anno praetores cum imperio ad exercitus missos esse et eo maxime tempore, quo Cn. Pompeius, eques Romanus, pro consule exercitum contra Sertorium duxit, plurima extra ordinem in illo genere fieri potuisse Niebuhrio concedendum censeam, tamen, cum de Fonteii praetura omnino nihil memoriae proditum sit, tutius est putare, eum ex Sullae lege de magistratibus praeturam aliquam in urbe gessisse, priusquam in provinciam proficisceretur, quam vana et inani coniectura uti.

33) cfr. Cic. de offic. II, 17, 58.
34) l. c. p. 43.

II.

Galliae Narbonensis et Hispaniarum inde ab a. 676/78 per plures annos historia. De Fonteii propraeturae tempore. De rebus ab eo in Gallia gestis.

Iam nobis ad id accedendum est, ut demonstremus, per quos annos pro praetore in Gallia Narbonensi fuerit M. Fonteius. Atque hoc primum certum est, per *tres annos* illum Galliam obtinuisse, cum Cicero[1]) dicat: „Hoc vestrae mentes tam castae, tam integrae sibi suscipient, ut, cum omnes legati nostri, qui *illo triennio* in Galliam venerunt, omnes equites Romani, qui in illa provincia fuerunt, omnes negotiatores eius provinciae, denique omnes, in Gallia qui sunt socii populi Romani atque amici, M. Fonteium incolumen esse cupiant, iurati privatim et publice laudent, vos tamen cum Gallis condemnare malitis?" Sed qui fuerint illi tres anni non facile esse diiudicatu, iam ex eo cognosces, quod plurimorum et doctissimorum virorum per hos quinquaginta annos variae discrepantesque fuerunt de illa re sententiae.

Priusquam autem singulas eas sententias recenseam, consentaneum puto, quo ab a. 676/78 per plures deinceps annos Gallia provincia fuerit statu in medium proferre. Sed cum ea, quae illo tempore in Gallia facta sunt quasi artissimo vinculo cohaereant cum rebus in Hispania gestis, utile

1) pr. Font. §. 32 [22].

erit simul quae tum fuerit Hispaniarum condicio, breviter exponere [2]).

A. 676/78 cum — ut supra commemoratum est — Fonteius haud dubie in Macedonia sub Appii Claudii proconsulis auspiciis legatus virum rei militaris peritissimum sese praestaret et Macedones a Thracum depopulationibus defenderet, L. Manlius proconsule Galliam Narbonensem administravit. Sed eum neque boni neque strenui imperatoris laudem merere luce clarius est. Nam cum Q. Metello, qui inde ab a. 675/79 in Hispania contra Sertorium eiusque copias bellum gerebat, auxilio veniret [3]), brevi factum est, ut a L. Hirtuleio, Sertorii quaestore, devinceretur [4]), et cum Galliam repetens Aquitaniam transgrederetur, tam male pugnavit contra eius terrae incolas, ut cum paucis copiis in provinciam suam rediret [5]). Neque utrum iure a. 676/78 haec facta esse putemus necne dubitari potest. Cum enim constet, Metellum — et eum a. 675/79 Roma profectum esse vulgo creditur — statim ab adventu in Hispaniam rem male contra Sertorium gessisse, vix annum intercessisse puto, quin auxilium a Manlio peteret. Praeterea maximi momenti esse puto, quod eo Livii epitomes CX loco, quem modo

2) Praeter veteres auctores, inprimis Sallustium, Plutarchum, Appianum in describendo belli Sertoriani tempore usus sum Mommseno (l. c. III, p. 29 sqq.), Petero (Geschichte Roms, Halle 1870, 3. Aufl., II, p. 142 sqq.), Langio (l. c. III, p. 173 sq., 178. 183). Cum autem, ne longus sim eos tantum veterum locos sim citaturus, qui ad res Gallicas spectant, liceat mihi ad Langii librum delegare, qui omnes veterum scriptorum locos, qui ad illa tempora pertinent, annotavit.

3) cfr. Plut. Sert. 12.

4) cfr. Liv. epit. XC: Q Sertorius in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul et L. Domitius legatus ab Hirtuleio quaestore proelio victi sunt.

5) Caes. b. G. III, 20: Cum in Aquitaniam venisset [P. Crassus] et intellegeret, in iis locis sibi bellum gerendum, ubi paucis ante annis L. Mallius proconsul impedimentis amissis profugisset, non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intellegebat. Oros. V, 23.

laudavi, *primum Manlium, tum L. Domitium Ahenobarbum* victum esse narratur, praesertim si tecum reputas, viros doctos L. Domitii cladem eis annumerare rebus, quae *paulo post* facta sunt, quam Metellus bellum cum Sertorio gerendum suscepit.

Quae cum ita sint, errasse existimabimus Herzogium [6]), qui obtinuit Manlium Lepidi loco a. 677/77 in Galliam profectum esse, contra recte iudicasse Langium, qui [7]) iam a. 676/78 illum praefuisse Galliae contendit.

Aemilio illi Lepido, consuli a. 676/78 in posterum annum Gallia Narbonensis provincia decreta est. Sed cum eum paeniteret eius, quae tum erat reipublicae condicionis, rerum mutationis cupidus plebem ad seditionem excitavit et probe cognoscens, eo se Galliae praepositum esse, ut procul ab Roma ablegaretur, in Etruria haud spernendum exercitum coëgit, quocum Romam aggressus est. Haud vero multo post, cum devictus esset, a. 677/77 in Sardinia mortuus est, neque unquam Galliam proconsul vidit [8]).

Incertum est, cui in Lepidi locum Gallia provincia decreta sit, nec, cum illo tempore haud parva esset Romae omnium perturbatio, abhorrere a vero mihi videtur, L. Manlium etiam per annum 677/77 obtinuisse Galliam.

Gallia ipsa haudquaquam illo tempore speciem praebuit pacatae provinciae. Frequentibus nuntiis, qui de cladibus a Metello in Hispania acceptis afferebantur quosque fama etiam in maius auctos esse verisimile est, rumore de

---

6) in: Galliae Narbonensis provinciae Romanae historia e. t. c., Lipsiae 1864, p. 65.

7) l. c. III, 173.

8) App. B. C. I, 107: *κληρωσάμενος ὁ Λέπιδος τὴν ὑπὲρ Ἄλπεις Γαλατίαν ἐπὶ τὰ ἀρχαιρέσια οὐ κατῆει ὡς πολεμήσων τοῖς Συλλείοις τοῦ ἐπιόντος ἔτους ὑπὲρ τὸν ὅρκον ἀδεῶς . . . ἡττώμενος δ' ἐς Σαρδὼ διέπλευσεν, ἔνθα νόσῳ τηκεδόνι ἀπέθανε.* Flor. III, 23, 6. 8. Gran. Lic. p. 45. Sall. hist. I, 45. 46. 54 Dietsch. Plut. Pomp. 16. Liv. epit. 90.

Lepidi tumultu in Italia et de longinquo Romanorum cum Thracibus bello Galli in spem adducti sunt tum maxime iugum servile a cervicibus suis deiiciendi. Et sicut incendio semel incitato flamma magis magisque effunditur, sic brevi tota provincia a Pyrenaeis usque ad Alpes ad seditionem est excitata. Itaque peropportune factum est, ut Cn. Pompeius Roma ad Metellum contra Sertorium adiuvandum missus nova per Alpes Cottias via munita eodem anno 677/77 [9]) cum triginta millibus peditum, mille equitibus in Galliam veniret [10]). Vi ac pugna iter per provinciam tumultuosam sibi paravit [11]) Gallisque ostendit, Romae etiam turbulentissimis illis temporibus satis virorum esse, qui provinciam rebellantem domarent, et ut gravissima eos poena afficeret, Volcarum, Arecomicorum et Helviorum fines publice Massiliensibus concessit [12]). Neque vero seditionem in Gallia prorsus compressisse Pompeium puto, immo mihi verisimile videtur eum, cum novae gloriae cupidus in Hispania contra Sertorium pugnare properaret et iam exitu eiusdem anni 677/77 Pyrenaeum montem superaret, vicisse quidem populos gallicos nonnullos, provinciam autem non pacavisse.

Atque initio anni 678/76 rem haud male gessit Pompeius in Hispania. Nam cum Lacetani et Indigites, qui Pyrenaei accolae erant, viderent, quantae copiae ad subigendas Hispanias venissent, territi se dederunt. Interea

9) cfr. Mommsenum l. c. III, p. 29, Peterum l. c., p. 146.

10) Sall. hist. II, 96, 4 D. App. B. C. I, 109.

11) Cic. d. imp. Cn. Pomp. XI, 30: testis est Gallia, per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum internecione patefactum est.

12) Caes. B. C. I, 35: Principes earum partium esse Cn. Pompeium et C. Caesarem, quorum alter agros Volcarum, Arecomicorum et Helviorum publice iis concesserit, alter bello victos Sallyas attribuerit vectigaliaque auxerit, pr. Font. §. 14 [4]: Dicunt contra, quibus invitissimis imperatum est: dicunt, qui ex agris ex Cn. Pompeii decreto decedere sunt coacti.

Sertorius, quo facilius et Metello et Pompeio resisteret, copias suas in quattuor partes diviserat, unam duce Perperna posuerat ad ostium Hiberi, alteram, cui Hirtuleius praeesset, ad Baetim flumen, tertiam cum C. Herennio duce ita locaverat, ut et Perpernam et Hirtuleium si opus esset, adiuvare posset, ipse substiterat in superiore Hiberi parte. Sed Pompeius Perperna, qui eum transitu prohibere conabatur, eiusque exercitu repulso Hiberum superavit et in interiorem Hispaniam profectus est. C. Herennio ad Valentiam devicto urbem ipsam expugnavit eodem fere tempore, quo Metellus Hirtuleii exercitum ad Italicam profligavit. Cum ipso autem Sertorio Pompeius adverso Marte pugnavit. Cum enim Lauronem, urbem ad Sucronem sitam, quae quia iam Sertorii fortuna inclinare videbatur ad Romanos desciverat eamque ipsam ob causam a Sertorio oppugnabatur, obsidione liberare studeret, insidiis captus magnam exercitus partem amisit neque impedire potuit, quominus Sertorius urbem expugnaret.

Fieri autem non potuit, quin Hispania, florentissima et uberrima provincia, tot et tantis exercitibus eam obtinentibus, exhauriretur. Et profecto iam illo anno miseram fuisse Hispaniae condicionem, ex eo cognoscitur, quod Metelli exercitui ex Gallia commeatus subvectus est [13]).

Proximo anno 679/75 Metello in citeriorem provinciam ingresso L. Hirtuleius ad urbem Segoviam obviam se obiecit, proelio autem victus ipse cecidit. Tum priusquam Pompeius et Metellus arma consociarent, Sertorius, quam primum posset, confligere cum Pompeio properavit eumque ad Sucronem vicit. Neque vero eam cladem memorabilem fuisse verisimile est ideo, quod paulo post Pompeius et Me-

13) cfr. Sall. hist. II, 96, 9 D. (Epistul. Cn. Pomp. ad senat.): „Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit.“ — Superiorem annum a. 678/76 esse infra demonstrabo.

tellus vires contulerunt quodque Sertorio ad Saguntum maximum exercitus detrimentum intulere. Is autem cum nihilominus ambo exercitus Romanos ad Turiam flumeu aggressus esset, initio quidem Pompeium, qui equitibus praeerat, in fugam vertere videbatur, mox autem Metellus inferentes se ferociter hostium copias ita profligavit, ut incomposite in loca mediterranea fugerent. Nec tamen proconsules Romani sperare potuerunt, Sertorium bellum omissurum esse. Itaque fugientes secuti sunt et urbem Cluniam, in quam Sertorius se receperat, circumsederunt. Ubi dum frustra tempus terebant, Hispani novum exercitum coëgerunt, et Sertorius — haud dubie clam nuntiis excitus — ex arce effugit, ut illi exercitui praeesset. Iam appropinquabat hiems. Itaque Metellus et Pompeius hiberna circumspectaverunt. Sed cum Hispania, quam iam priore anno confectam et exhaustam fuisse vidimus, hoc anno, tribus validissimis exercitibus eam pervagantibus, multo magis ferro ignique vastata esset, ambo exercitus Romani in Hispania hibernare non potuerunt, ideoque Pompeius hiemem transegit in Vaccaeis, Metellus in Galliam concessit. Ex Vaccaeis Pompeius epistolam ad senatum misit, in qua, nisi subsidia mitterentur, Romam se venturum scripsit, de qua actum est in senatu initio anni 680/74 L. Licinio Lucullo M. Aurelio Cotta coss.[14]). L. autem Lucullus priusquam ad bellum

14) cfr. Plut. Sert. XXI: *ἠναγκάσθησαν οἱ στρατηγοὶ διαλυθέντες ὁ μὲν εἰς Γαλατίαν ἀπελθεῖν, Πομπήϊος δὲ περὶ Βακκαίους διαχειμάσαι μοχθηρῶς ὑπὸ ἀχρηματίας, γράφων πρὸς τὴν σύγκλητον, ὡς ἀπάξει τὸν στρατὸν, εἰ μὴ πέμποιεν ἀργύριον αὐτῷ.* Cfr. Sall. l. l. — Epistulam Cn. Pompeii ad senatum etsi initio a. 680/74 in senatu *recitatam* esse constat, tamen Niebuhrium (l. c. p. 44), qui *eodem anno* eam *scriptam* esse censet, cur sequamur, non habemus. Certum enim testimonium exstat, quo eam scriptam esse a. 679/75 confirmatur, cum Diomedes (art. gramm. libr. I, p. 366) locum eius epistulae ex secundo Sallustii historiarum libro referat, quo res a. 679/75 gestae continebantur. (cfr. Dietschium ad eam epistul.) Neque si quis ex eo, quod

cum Mithridate gerendum Roma proficisceretur, ut quae Pompeius postulaverat quam celerrime ei submitterentur, effecit, metuens, ne Pompeius Romam veniret et pro ipso in Asiam mitteretur [15]).

Ineunte vere bellum denuo coortum est. Neque vero ab hoc tempore acie pugnatum est, sed Sertorius hostium vires non nisi levibus proeliis lacessendo et urbes defendendo attrivit. Metellus in ulteriore Hispania eas urbes subegit, quae etiam tum a Sertorii partibus stabant. Minus feliciter Pompeius in Tarraconensi provincia contra ipsum Sertorium bellavit. Nam urbem Pallantiam, quam operibus clausam tenebat, Sertorius obsidione solvit. Et ad urbem Calagurrim a Sertorio proelio superatus est, quamquam Metellus, ut eam cum Pompeio oppugnaret, copias suas adduxerat, amboque imperatores Romani iterum coacti sunt, ut diversas regiones peterent. Itaque Metellus in ulteriore Hispania, Pompeius in Gallia cum exercitu hiemem transegit [16]).

Quibus expositis cum iam omnia in medium protulerim, quibus freti viri docti demonstrare conati sunt, per quos annos Fonteius Galliam administraverit et quibus innixus

---

Pompeius in illa epistula per „triennium“ vix annuum sibi sumptum a senatu datum esse scribit, concludi posse putat, illam a. 680|74 scriptam esse, recte iudicat. Nam cum Pompeium 677|77 Roma profectum esse constet, exeunte a. 679|75 triennium interim se transegisse illum non sine aliquo iure scribere potuisse, vix negabis.

Quodsi epistul. Pompeii ad senatum a. 679|75 scriptam esse constat, vides superiorem illum annum, quo Metelli exercitui frumentum missum esse ex Gallia scribit Pompeius (§. 9), iure me contendisse a. 678|76 esse.

15) cfr. Plut. Pomp. XX, Lucull. V, App. B. C. I, 111.

16) Liv. epit. XCIII: Res a Pompeio et Metello adversus Sertorium gestae, qui omnibus belli artibus par fuit. Quos et ab obsidione Calagurris oppidi depulsos coegit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam. — pr. Font. §. 16 [6]: Exercitus praeterea Cn. Pompeii maximus atque ornatissimus hiemavit in Gallia M. Fonteio imperante.

ipse quid de ea re sentiam, profiteri potero, ad propositum nostrum redeamus.

Ante omnia autem quid de singulorum virorum doctorum sententiis iudicandum sit, videamus!

Ac primum Niebuhrius[17]) haec de Fonteii propraeturae annis dicit: De triennio illo id quidem constare, eo imperante exercitum Cn. Pompeii in illa provincia hibernasse[18]) idque accidisse Lucullo et Cotta coss a. 680/74.

Ac superiore anno (679/75) maximum frumenti numerum inde ad exercitum Romanum advectum esse, ex ipsius Pompeii epistula cognosci, quam isdem coss. initio anni ad senatum scripserit ex Vaccaeis: id autem Fonteio procurante factum esse[19]). Id quaerendum restare, utrum ad supplendum triennium is annus attribuendus sit, qui praecesserit, an ille, qui secutus sit. Se arbitrari Fonteium imperium in Gallia suscepisse L. Octavio et C. Cotta coss. a. 679/75, eoque ipso frumentum in Hispaniam misisse.

Itaque si Fonteius a. 679/75 imperium in Gallia susceperit, necesse esse, id illum per annum 681/73 retinuisse.

Quam sententiam plures ob causas non probo. Primum enim si putat Niebuhrius ex eo, quod a. 679/75 Metello ex Gallia frumentum missum est quodque Fonteius quoque (quem Pompeio hibernante in Gallia a. 680/74 illi provinciae praefuisse libens concedo) maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum Gallis imperavit, concludere se posse putat, nonnisi *Fonteium Metello* commeatus misisse, perperam iudicat. Facile enim intelligitur, talem argumentationem nihil aliud esse nisi „circulum in demonstrando“ sive „petitionem principii“, quam fugere philosophorum iubemur praeceptis, et eum, qui Metello frumentum ex Gallia subvehendum curaverit alium ac Fonteium

17) l. c. p. 44 sq.
18) pr. Font. 16 [6].
19) pr. Font. § 13 [3].

esse posse, sponte concedes, praesertim si tecum reputaveris, quanta fuerit et frumenti et omnium aliarum rerum inopia, qua Metellus et Pompeius per totum paene bellum Sertorianum premebantur. Ceterum Fonteium a. 679/75 omnino non in Gallia fuisse infra demonstrabo.

Accedunt duae aliae causae: prima, quod cum epistulam Cn. Pompeii ad senatum a. 679/75 scriptam esse demonstraverimus, ille superior annus, quo commeatus Metello e Gallia subvecti sunt, non fuit annus 679/75 ut Niebuhrio videtur, sed annus 678/76, altera, quod cum eodem loco Pompeius dicat Galliam ipsam eo anno „malis fructibus vix agitare", anno 679/75 omnino non ex Gallia frumentum in Hispaniam subvectum esse perspicuum est. Quae cum ita sint, iam non dubitemus Niebuhrii opinionem reiicere.

Niebuhrii sententiam se secutum esse profitetur R. Klotzius [20]). Sed levius eum illam rem tractasse ex eo cognoscitur, quod nihilominus per annos 678/76 — 680/74 Fonteium Galliae propraetorem fuisse censet.

Drumannus, quem et ipsum ad Niebuhrii sententiam accedere videmus [21]), triennii illius non nisi duos annos a. 679/75, quo Fonteius Metello commeatum miserit et a. 680/74, quo Fonteius in Gallia hibernaverit, inveniri posse existimat, tertius autem annus utrum fuerit a. 681/73 (quod Niebuhrius arbitratur) an 678/76 diiudicare non est ausus, cum probe perspexerit, se Niebuhrii argumentationem accipientem eodem iure a. 678/76 quo 681/73 addere posse duobus illis annis 679/75 et 680/74.

Aliam viam iniit A. W. Zumptius [22]), qui haec de Fonteii propraeturae annis disserit: — „Fonteium Cicero c.

20) l. c. p. 559 sq.

21) l. c. p. 330.

22) in: Augusti Wilhelmi Zumptii studia Romana sive de selectis antiquitatum Romanar. capitib. commentationes quattuor, Berolini apud F. Duemmlerum, 1859, p. 6.

3 ait illo tempore provinciae suae praefuisse, cum maximi exercitus populi Romani clarissimique imperatores in Hispania essent atque exercitus Cn. Pompeii maximus atque ornatissimus in Gallia hibernaret: Pompeium autem a. 74 in Gallia hibernasse, discimus ex Liv. epit. XCIII. Quare si hunc primum M. Fonteii annum fuisse putabimus (nam per triennium eum provinciae suae praefuisse ait Cicero c. 22), efficitur, ut ille ab anno 73 usque ad 71 Galliam rexerit."

Quae opinio haud dubie proxime ad verum accedit. Eo magis dolendum est, quod in explicanda sua sententia Zumptius miro quodam errore captus ipse sibi repugnavit. Quamquam enim ex eo, quod Pompeius a. 74 in Gallia hibernaverit, effici *contendit*, eum primum annum triennii illius esse, per quod Galliam rexerit Fonteius, tamen eum ab a. 73 usque ad a. 71 Galliae praefuisse *dicit*.

Reliquum est, ut ea in medium proferam, quae de Fonteii propraeturae tempore iudicaverit Herzogius [23]). Qui rationem computandi inde tantum sumi posse existimat, quod Fonteius mandata exsecutus esse dicatur Pompeii [24]). Minus autem probabile esse, quod Zumptius statuerit, quam statim post profligatos a. 77 Gallos relictum esse Fonteium ad conficiendum opus ab ipso imperatore inchoatum.

Neque vero huic sententiae astipulor. Ex Ciceronis enim verbis id quidem apparere concedo, Fonteium *mandata Pompeii exsecutum* esse, minime vero a Pompeio eum in Gallia a. 677/77 *relictum* esse. Ex eo autem tantum, quod mandata Pompeii exsecutus est Fonteius, effici non potest, per quos annos Galliae praefuerit. Quamquam enim Pom-

23) l. c. p. 66 annot. 73.

24) cfr. pr. Font. §. 14 [4]: Dicunt contra, quibus invitissimis imperatum est: dicunt, qui ex agris ex Cn. Pompeii decreto decedere sunt coacti: dicunt, qui ex belli caede et fuga nunc primum audent contra M. Fonteium inermem consistere.

peium cum in Hispaniam proficiscens Galliam subegisset, Helvios, Arecomicos et Volcas ex agris suis decedere iussisse constat, tamen post eius profectionem eos, cum Romanos pluribus in regionibus bellare scirent et paulo post ambo proconsules in Hispania rem male gerere comperissent, aut omnino ex agris non decessisse, aut mox in eos rediisse verisimillimum est. Adde, quod facile fieri potuit, ut et eo tempore, quo Pompeius in Gallia fuit et post id tempus vir imbellis et „ad conficiendum opus ab ipso Pompeio inchoatum" non idoneus Galliae praeesset, concedes, non esse, cur *statim* a. 677/77 Fonteium mandata Pompeii exsecutum esse putemus.

Quibus expositis iam meam sententiam aperiam. Equidem puto unicam esse viam, qua et brevissime et facillime invenire possis, per quos annos Fonteius in Gallia fuerit eam, quam iniit Zumptius. Cum enim Cicero [25]) dicat, exercitum Cn. Pompeii maximum atque ornatissimum hiemasse in Gallia M. Fonteio imperante eamque ipsam ob causam satis multos et idoneos esse homines, quibus laudatoribus Fonteii et testibus uti possit, mirum est, eum silentio praeterire, Metellum cum exercitu suo *priore anno* hiemem transegisse in Gallia. Nam ut Cicero in omnibus aliis orationibus, quibus accusatos defendit quascunque causas afferre solet, quibus reos purget, sic in Fonteiana omnia movet, ut Fonteium culpa absolvat. Rem autem tanti momenti ut praetermitteret, Ciceronem commotum esse existimo nulla alia causa nisi hac: quod Metello hibernante in Gallia Fonteius huic provinciae nondum praefuerit. Itaque cum Metellum a. 679/75 — 680/74, Pompeium a. 680/74 — 681/73 hiemasse in Gallia demonstrasse mihi videar, Fonteium autem per triennium eam provinciam administrasse constet, sequitur ut ille fuerit in Gallia per annos 680/74 — 682/72.

25) l. c. §. 16 [6].

Nec redargui me posse puto eo, quod quis dicat, ipsum me mihi repugnare, cum Metellum a. 679/75 — 680/74 hiberna habuisse in Gallia contendam, nihilo minus autem Fonteium ab anno 680/74 Galliam administrantem eo tempore, quo Metellus in illa provincia hibernaverit, ibi fuisse negem. Nam ut proconsules et propraetores Romanos non semper statim primis eius anni mensibus, in eas provincias, quas sortiti erant, Roma profectos esse Caesaris [26]) et Ciceronis [27]) exemplis comprobatur, sic Fonteium eo tempore in provinciam venisse patet, quo Metellus cum exercitu iam in Hispaniam redierat.

Satis multa de Fonteii propraeturae tempore dicta sunt: nunc quas res per triennium illud gesserit, exponere in animo est.

Cum in Galliam veniret Fonteius, haudquaquam pacatam provinciam invenit. Nec id est mirum. Iam supra verisimillimum esse commemoravi Pompeium a. 677/77 Galliam *prorsus* pacare neque potuisse neque voluisse, cum belli Sertoriani moles ei instaret. Et hoc quoque iam dixi, Volcas, Arecomicos, Helvios, quos agris suis decedere Pompeius iusserat, cum Romanos et cum Thracibus in Macedonia et cum Sertorio in Hispania pugnare scirent, agros aut omnino non reliquisse aut mox in eos rediisse me putare, et facile fieri potuisse, ut vir imbellis, qualis erat ille Manlius, de quo supra exposuimus, Galliam tum regeret.

Quibus rebus gliscenti Gallorum seditioni ignem et materiam subditam esse arbitror. Et cur ea magis magisque crescere potuerit, plures inveniuntur causae.

Primum enim a. 679/75 Galli summa frugum inopia premebantur, et cum non haberent, quo illam compensarent (nam anno superiore maximam frumenti copiam ad Metelli

26) Caes. B. G. I, 6 sq., Plut. Caes. 14.
27) Cic. ad Attic. V, 2, 7; 10, 15.

exercitum in Hispaniam mittere eos coactos esse vidimus), ira contra Romanos accenderentur necesse erat. Tum exeunte eodem a. 679/75 Metellus cum maximo exercitu in Gallia hibernavit eoque provincia iam ante confecta etiam magis exhausta est. Adde, quod clandestinis Sertorii nuntiis Gallos ad seditionem tum sollicitatos esse probabile est: intelligis adventu Fonteii initio anni 680/74 seditionem non minus periculosam et saevam in Gallia fuisse, quam a. 677/77.

Et profecto vis rebellantium vix tum toleranda fuisset, si provinciae incolae ad unum omnes contra Romanos surrexissent. Peropportune autem factum est, ut tria maxime hominum genera tum essent in ea provincia: primum eorum, qui iam saepe a Romanis bellis superati erant et metu commoti haud dubie a republica Romana illo tempore omnino non ausi sunt desciscere, alterum Volcarum, Arecomicorum, Helviorum, qui post Pompeii decessum ante omnia eos agros, quibus ab illo multati erant, obtinere studuerunt, tertium eorum, qui tum potissimum Romanos undique hostibus urgentibus, facillime se iugum servile a cervicibus suis deiicere posse speraverunt eoque non solum ipsi rebellarunt, sed etiam alias Gallicas gentes libertatis spem ostendendo in societatem rebellionis deduxerunt [28]).

Itaque vides statim Fonteio occasionem oblatam fuisse, fortem se et bellicae artis peritum virum ostendendi.

---

28) pr. Font. 12 [2]: Provinciae Galliae M. Fonteius praefuit, quae constat ex iis generibus hominum et civitatum, qui, ut vetera mittam, partim nostra memoria bella cum populo Romano acerba ac diuturna gesserunt, partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab senatu agris urbibusque multati sunt, partim cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus contulerunt multoque eius sudore ac labore sub populi Romani imperium dicionemque ceciderunt. §. 13 [3]: qui *erant* hostes, subegit: qui *proxime* fuerant, eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere coëgit: *ceteris, qui idcirco magnis saepe erant bellis superati, ut semper populo Romano parerent*, magnos equitatus e. t. c. cfr. §. 26 [16].

Primum igitur *Narbonem Martium*, coloniam civium Romanorum, quod „propugnaculum ipsis istis nationibus oppositum et obiectum“ Galli circumsessum tenebant, obsidione liberavit[29]). Deinde *urbem Massiliensium*, quibus Pompeium Volcarum, Arecomicorum, Helviorum fines publice concessisse vidimus, et in quos non solum eam ipsam ob causam, sed etiam quod „Gallicorum bellorum pericula populo Romano copiis praebendis compensaverant“ maxima vis rebellantium hostium illata esse videtur, servavit[30]) illasque tres gentes agris suis decedere coëgit. Tum alios hostes, in his fortasse Vocontios[31]) in dicionem Romani imperii redegit[32]), ceteris denique, qui arma contra Romanos capere non ausi erant, „magnos equitatus ad ea bella, quae tum a populo Romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum imperavit“[33]).

Hoc modo Fonteius seditionem in Gallia ortam comprimere studuit nec dubium est, quin paullatim omnibus locis rebellantes oppresserit totamque provinciam pacaverit.

Sed etiam alia ab eo propraetore in Gallia facta esse memoriae traditum est. Primum quod ex titulo:[34]) „de dispositione hibernorum“ cognoscitur, hiberna disposuisse Fonteium, ad Pompeii hibernationem in Gallia referendum esse arbitror, quae erat a. 680/74 — 681/73. Praeterea autem cum et propter bellum Sertorianum et ob perpetuas Gallorum rebelliones ex republica esset, ut via Domitia muniretur, Fonteius, quia ipse aliis negotiis impediebatur,

29) ibid. §. 13 [3], §. 46 [36].
30) §. 13 [3], §. 45 [35].
31) cfr. §. 20 [10] titulum: de bello Vocontiorum.
32) §. 12 [2]—14 [4], §. 26 [16].
33) §. 13 [3].
34) §. 20 [10].

legatis suis: C. Annio Bellieno et C. Fonteio id negotium dedit [35]). Quo facto non ipse solum cum copiis suis facilius per Galliam proficisci poterat, sed etiam Roma terrestri itinere Galliam et Hispanias petentibus iter erat expeditius. Denique vini portorium instituisse Fonteium commemoratur [36]), ad eas vias exigendum, quae a Narbone per provinciam Romanam et ad populos etiam tum liberos ferebant. Et id portorium eum simulac provinciam sedaverit Gallis imposuisse, ex eo colligi posse puto, quod Plaetorius, eius adversarius postea dixit [37]), Fonteio non in Gallia primum venisse in mentem, ut illud portorium institueret, sed inita iam ac proposita ratione Roma eum profectum esse.

35) §. 18 [8].
36) §. 19 [9].
37) ibid.

III.

Cur Fonteius non statim post decessum ex Gallia repetund. accusatus sit. Quo anno sit accusatus. De Plaetorio accusatore et Fabio subscriptore. De Cicerone, Fonteii patrono. De testibus. Qui praetor quaestioni de Fonteio habitae praefuerit. Fonteius utrum condemnatus an absolutus sit.

Quae a Fonteio propraetore in Gallia acta esse referuntur, dicta sunt. Et supersedere me posse puto hoc loco quaerere, utrum iniuste et avare provinciam administraverit, necne. Unum dico, haud dubie illum ut ea aetate plurimi eorum facere solebant, qui provinciis praepositi erant, minus reipublicae, quam privato suo commodo in Gallia servisse et haud dubie re familiari aucta Romam revertisse. Id, ut alia mittam, iam ex eo elucet, quod, postquam ille Galliam reliquit, provinciae incolae id egerunt ac moliti sunt, ut poenas illum luere cogerent.

Neque tamen illo tempore fieri ullo pacto posse videbatur, ut quisquam nobilium de pecuniis repetundis damnaretur, cum ex lege Cornelia iudiciaria non nisi senatores iudicia facerent de talibus criminibus, qualia commisisse videbatur Fonteius, eosque hominem eiusdem ordinis condemnaturos Gallisque ultro invisis opitulaturos esse, haudquaquam erat sperandum.

Hoc modo post Fonteii decessum ex Gallia duo anni exacti erant, cum necopinato Gallis oblata esse occasio videbatur ulciscendi iniurias a Fonteio acceptas.

Cum enim a. 684/70 C. Verres, qui Siciliae praefuerat eamque crudelissime vexaverat, repetundarum a Cicerone accusatus esset, et senatores omni genere doli ac fallaciae Ciceronem ab accusando deterrere Verremque instanti periculo liberare studerent, Romanis iudicia senatoria intolerabilia visa sunt. Neque quod postquam prima actio contra Verrem a Cicerone habita est unicuique confidere licuit, fore, ut Verres omnibus sententiis condemnaretur, neque quod ipse Verres desperans de salute sua non exspectata altera actione in exsilium profectus est, multitudinis invidiam reprimere ac retardare potuit.

Itaque cum L. Aurelius Cotta, praetor eius anni rogationem iudiciariam promulgasset [1]), qua, lege Cornelia iudiciaria sublata [2]) in posterum tempus ex tribus ordinibus senatorum, equitum, tribunorum aerariorum iudices eligerentur [3]), lex a plebe vehementissime efflagitata [4]) ultimis mensibus eiusdem a. 684/70 perlata est.

Cuius cum legis Cicero Fonteium defendens mentionem faciat [5]), luculentissime apparet, Fonteium *non ante exitum* a. 684/70 *accusatum esse.*

---

1) cfr. Cic. in Verr. act. I, 1, 2. I, 8, 20.

2) Cic. in Verr. V, 69, 177 sq.

3) Cic. ad Attic. I, 16, 3. Phil. I, 8, 20. Ascon. p. 16. 30. 53. 67. 78. 90. Ps. Asc. p. 103. Schol. Bob. p. 229. 235. 239.

4) Cic. pr. Cornel. I, 28.

5) §. 36 [26]: Magna mehercules causa, iudices, absolutionis est, ne quae insignis huic imperio macula atque ignominia suscipiatur, si hoc ita perlatum erit in Galliam, *senatores equitesque* populi Romani non testimoniis Gallorum, sed minis commotos rem ad illorum libidinem iudicasse. — Summo iure omnes viri docti mihi in eo videntur consentire, ut haec verba ad legem Aurel. iudic. referenda esse censeant. Nec refellitur ea sententia eo, quod Cicero hoc loco tertiam quae erat ex lege Aurelia iudicum decuriam: tribunos aerarios silentio praetermisit, cum eos nominare nihil attineret. In Cluentiana quoque cum de lege Aurelia loqueretur, bis (43, 121; 47, 130) non nisi senatorum et equitum mentionem fecit.

Quamquam — et probe hoc iam perspexit Drumannus [6]) — eo tantum, quod *post perlatam* legem Aureliam Fonteium accusatum esse constat, parum certe confirmatur, *quo anno* eius causa acta sit, nec si quis pluribus annis *post* 684/70 Fonteium accusatum esse obtineret, illo solo argumento nisi haberemus, quo eum redargueremus. Itaque alia demonstrandi via ineunda est, ut quo anno Fonteii causa acta sit, comprobemus.

Succurrit nobis C. Iulii Victoris locus [7]), qui dicit: „Et quemadmodum supra quaerebamus quid esset simile, ita et e contrario consideremus, quid in se dissimile habeat ea res, quae in quaestionem venit, *ut pro Fonteio M. Tullius exsequitur* [8]), *quod eius causa non sit eadem quae Verris.*

Duae maxime res ex Iulii Victoris verbis cognoscuntur: primum, Ciceronem cum defenderet Fonteium eius causae, qua Verrem accusaverat, mentionem fecisse, tum autem Ciceronem Verris causam *non obiter* attigisse, *sed pluribus verbis* Fonteii causam cum causa Verris comparasse. Consulto enim Iulius Victor exsequendi vocem mihi videtur usurpasse, qua (et saepius eo sensu illa voce usi sunt veteres [9]) haud dubie significare voluit accuratiorem rei tractationem.

Quae si ita esse mihi concedis, colligere me posse puto, Fonteii causam *haud multo post* Verris causam actam esse. Nam etiamsi Verris causam civibus Romanis tam notam fuisse eaque omnium animos tam excitatos esse puto, ut pluribus annis post in alia quadam oratione eam *obiter commemorare* potuerit Cicero, tamen intelligis, primum *copiosius et uberius* causam Verrinam cum alia ab eo conferri potuisse non nisi eo tempore, quo memoria singularum

6) l. c. p. 330.

7) 400, 12 ed. Halm.

8) scil. in ea orationis parte, quae periit.

9) cfr. Cic. ad Famil. 11, 27 med. Liv. XXVII, 27, XXIX. 17. Drakenb. ad Liv. V, 15, 12.

rerum, quae ad illam spectabant, nondum erat obliterata. Tum autem non habuisset Cicero, cur Verris causam cum causa Fonteii compararet, *nisi brevi tempore ante ipse Verris accusator et Siculorum patronus exstitisset.* Hoc enim consilio procul dubio Verrinam causam cum Fonteiana contulit, ut iudicibus aperiret, quibus causis commotus cum Verrem a. 684/70 repetundarum *accusasset*, tunc Fonteium eiusdem criminis reum *defenderet*, sive Plaetorius, Fonteii accusator id ei obiecerat, sive ipse intellexerat de ea inconstantia iudices mirari posse.

Quae omnia si animo comprehendimus, dubium esse non potest, quin Fonteius *initio* a. 685/69, minime vero post eum annum accusatus sit. Anno autem 684/70 eius causam actam esse, quod Zumptius [10]) fieri potuisse putat, ideo probandum non est, quod iam tum, cum Verrem accusavit Cicero, ei timendum erat, ne actio secunda in sequentem annum protraheretur [11]).

Ut redeam ad Gallos: postquam fama ad eos perlata est, Verrem condemnationis ignominiam voluntario exsilio praevenisse et legem Aureliam Romae perlatam esse, tempus venisse putaverunt, quo iustiores et aequiores iudices Romae cognituri essent. Itaque Indutiomarum, Allobrogum principem [12]) cum legatis aliarum gentium Romam miserunt, ut virum quaereret, qui Gallorum patronus exsisteret. Indutiomarus adiit M. Plaetorium. Is Gallis se

10) l. c. p. 6.

11) Verr. Act. I, 10 sq.

12) Quamvis verba §. 46 [36]: „dux Allobrogum ceterorumque Gallorum“ non Ciceronis esse Bakio (Scholica hypomnemata, Lugd. Batav. 1837 sqq., V, p. 181) concedam, tamen cum illa in omnibus codicibus inveniantur, antiqui Fonteianae interpretis mihi esse videntur, qui fortasse ex perdita orationis parte cognovit, Indutiomarum Allobrogem fuisse. Quod autem Klotzius (l. c. p. 560) statuit Indutiomarum fuisse Trevirum, cum illa aetate Treviri nondum Romanae dicionis essent, perversum est.

praesto fore promisit Fonteiumque ex lege Cornelia repetundarum accusandum suscepit.

Cui M. Plaetorio Cestiani cognomen fuisse verisimile esse primus dixit Drumannus [13]), ipse tamen nullo satis firmo testimonio id comprobari posse concedit [14]). Ne ego quidem rem pro certo adfirmaverim. Nam quamquam plures numi gentis Plaetoriae exstant, in quibus singulis Plaetoriis Cestianorum cognomen additur, et quamquam bis inveniuntur Marci Plaetorii Cestiani curules aediles [15]), tamen cum plurimos variis reipublicae temporibus Plaetorios Romae fuisse consentaneum sit, non *dilucide* apparet, idem cognomen fuisse M. Plaetorio, Fonteii accusatori.

Minus ambigitur, num is M. Plaetorius idem sit atque ille, qui cum C. Flaminio aedilis curulis fuit, apud quem a Cicerone D. Matrinium, scribam aedilicium defensum esse discimus ex Cluentiana [16]), cum ea oratio tribus tantum annis post Fonteianam habita sit idemque praenomen inditum inveniamus ei Plaetorio, qui commemoratur in Cluentiana atque illi, qui accusavit M. Fonteium.

Quo anno Plaetorius aedilitate functus sit, ambigitur. Legitur enim apud Ciceronem [17]), a. 688/66 Flaminium et Plaetorium quaestioni inter sicarios praefuisse. Qua re commotus Drumannus [18]) putavit, eodem anno 688/66 illos praetores fuisse innixusque lege Villia annali obtinuit, aedi-

13) l. c. p. 331.

14) l. c. annot. 52.

15) cfr. I. Eckhelium: Doctrina numorum veterum, Vindob. 1795. Vol. V, p. 273 sqq.

16) pr. Cluent. cp. 45, §. 126: nuper hominem tenuem, scribam aedilicium, D. Matrinium, cum defendissem apud M. Iunium Q. Publicium praetores et M. Plaetorium C. Flaminium aedilis curulis, persuasi, ut scribam iurati legerent eum, quem eidem isti censores [scil. L. Gellius Cn. Lentulus] aerarium reliquisse se subscripserunt.

17) ibid. cp. 53, §. 147.

18) l. c. p. 335, adnot. 84.

les cur. eos fuisse a. 685/69. Quae sententia duas ob causas est reiicienda. Primum enim a. 685/69 aed. cur. fuisse M. Tullium Ciceronem M. Caesonium certis testimoniis comprobatur [19]). Tum autem minime constat Plaetorium et Flaminium a. 688/66 praetores fuisse, immo verisimillimum est eos eo anno fuisse iudices quaestionis, quo munere tum fungebantur aedilicii [20]). Itaque cum nesciamus, quo anno praeturam gesserit Plaetorius, ne de eo quidem anno, quo aedilitate functus est, quidquam certi statui potest, optimumque puto ad Wehrmanni sententiam [21]) accedere, qui coniecit a. 687/67 Plaetorium aedilem cur. fuisse.

Ceterum M. Plaetorium fuisse amicum P. Cornelii Lentuli Spintheris, consulis a. 697/57 cognoscitur ex epistula a Cicerone ad Lentulum data a. 703/51 [22]).

Utrum autem is Plaetorius, cuius incendio Seium, aedilem a. 680/74 [23]) ambustum i. e. condemnatum esse Cicero [24]) dicit, an is, qui vicinus Attici nominatur [25]), M. Plaetorius fuerit, cum illis duobus locis a Cicerone praenomen nomini non additum sit, diiudicare non ausim.

Subscriptor et adiutor M. Plaetorii cum is M. Fonteium reum faceret, exstitit M. Fabius [26]). Nec miram esse arbitror defendisse Gallos contra Fonteii iniurias Fabium, haud dubie ex illo Q. Fabio Maximo Allobrogico oriundum, qui a.

19) in Verr. act. I, 8, 23, in Pison. I, 2. Brut. cp. 92 sqq., ad Attic. XII, 17, Plut. Cic. 9 extr.

20) cfr. Mommsen. R. Staatsrecht II, 1, p. 552, adnot. 2, p. 553, adnot. 2. Langium l. c. III, p. 225, A. 4.

21) cfr. Fasti Praetorii, composuit Petr. Wehrmann, Berol. 1875 p. 48 sq.

22) ad Famil. I, 8, 1.

23) Plin. N. Hist. XV, 1, 2, Cic. pr. Planc. 12.

24) ad Attic. V, 20, 8.

25) ad Attic. XV, 17, 1.

26) pr. Font. §. 36 [26]: M. Fabium, subscriptorem eius rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen est amplissimum.

633|121 cos. Allobroges in dicionem Romanam redegerat[27]). Nam ex Marcellorum exemplo, qui, postquam Syracusae a M. Claudio Marcello subactae sunt a. 542|212, illam urbem sub clientela ac tutela habuerunt[28]), elucet, saepius eas familias provinciarum patrocinium suscepisse, quarum maiores illas oppresserant.

Defendit Fonteium M. Tullius Cicero, quem aedilem curulem eo anno fuisse iam commemoravimus. Utrum autem reum solus defenderit, an ab alio patrono adiutus, in incerto est relinquendum. Saepius enim iam illo tempore factum esse, ut repetund. rei a duobus patronis defenderentur, ex ea oratione cognosci puto, quam pro L. Flacco habuit Cicero[29]).

Testes prodierunt *in* Fonteium: Indutiomarus, Allobrogum princeps cum aliorum Gallorum legatis[30]), contra innocentiae atque integritatis Fonteii testes appellat Cicero ulterioris Hispaniae gentes et incolas Macedoniae, quibus in provinciis Fonteius antea legatus fuerat[31]), Massiliensium civitatem et Narbonis Martii colonos[32]), publicanos et negotiatores, qui Fonteio Galliam administrante ibi fuerant[33]), equites Romanos, qui cum Pompeio in Gallia hibernaverant[34]) et multos alios cives Romanos[35]).

Nomen eius praetoris, qui quaestioni de Fonteio habitae praefuit, in Fonteianae orationis fragmentis non commemoratur. Itaque viri docti, haud dubie putantes id omnino inveniri non posse, accuratius eam rem investigare omiserunt.

27) cfr. Mommsen. R. G. II, 163.
28) cfr. Liv. XXV, 29.
29) cfr. pr. Flacc. cp. 17, §. 41, cp. 23, §. 54.
30) pr. Font. §. 27 [17], §. 29 [19], §. 36 [26], §. 46 [36].
31) §. 44 [34], §. 45 [35].
32) Fragm. Cus. 17, pr. Font. §. 14 [4], §. 34 [24], §. 45 [35], §. 46 [36].
33) §. 32 [22].
34) §. 16 [6].
35) §. 16 [6], §. 32 [22], §. 46 [36].

Nec tamen difficile est nomen illius praetoris indagare, dummodo hoc me iure contendisse concedas, Fonteium a. 685/69 accusatum ac defensum esse. Cum enim Cicero accusans C. Verrem a. 684/70 dicat[36]): „Ecce autem illis ipsis diebus, cum praetores designati (in annum 685/69) sortirentur *et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quaereret,* nuntiatur mihi tantam isti (Verri) gratulationem esse factam, ut is domum quoque pueros mitteret, qui uxori suae nuntiarent" et[37]): „Reperio, iudices, haec ab istis consilia inita et constituta, ut, quacumque opus esset ratione, res ita duceretur, ut *apud M. Metellum praetorem* causa diceretur. In eo esse haec commoda: primum M. Metellum amicissimum, deinde Hortensium consulem non solum, sed etiam Q. Metellum" efficitur, ut apud M. Metellum praetorem, fratrem Q. Metelli Cretici cos. eiusdem anni Fonteius accusatus sit.

Causam actam esse ex lege Cornelia iam dixi. Hanc legem Sulla dictator tulerat eaque ut antea lege Servilia de pecuniis repetundis[38]) sancitum erat, ut a praetore post primam actionem secunda in perendinum diem constitueretur, in qua iterum acta causa demum iudices sententias dicerent.

Ac de priore actione causae Fonteianae omnino nihil traditum est. Id autem constat, eam orationis pro Fonteio partem, quae nobis servata est, secundae actioni attribuendam esse, cum Cicero[39]) dicat: „De quo homine, iudices, — iam enim mihi videor hoc prope causa duabus actionibus perorata debere dicere — de quo homine ne ab inimicis

---

36) in Verr. Act. I, §. 21.

37) ibid. §. 26.

38) cfr. Carol. Zumptium: Commentationum de legibus iudiciisque repetundarum Pars I in: Abhandlg. d. Kgl. Akad. der Wissensch. in Berl. aus dem J. 1845, p. 30.

39) §. 37 [27], cfr. praeterea §. 40 [30].

quidem ullum fictum probrosum non modo crimen, sed ne male dictum quidem audistis."[40])

Quaeritur denique, num quo veterum testimonio comprobetur, utrum M. Fonteius condemnatus sit an absolutus.

Ac Drumannus quidem affert[41]) locum epistulae a Cicerone ad Atticum scriptae[42]): „Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam et exaedificatam animo habebas, M. Fonteius (?) emit HS. CCCIↃↃↃXXX", ex quo appareat M. Fonteium quendam a. 686/68 Neapoli domum emisse, et cum sine dubio is M. Fonteius idem sit atque ille, quem a. 685/69 Cicero defenderit, colligi putat, M. Fonteium absolutum esse. Sed praeterquam quod illo Ciceronis loco codex Mediceus non exhibet „M. Fonteius", sed „M. Fontius" (quamobrem Wesenbergius „M. + Fontinus" scribendum esse coniecit), ideo Fonteium damnatum esse arbitror, quod *post* a. 685/69, quo accusatus est, eius nomen a veteribus auctoribus omnino non commemoratur.

Ut autem concedam illo loco legendum esse „Marcus Fonteius" eundemque M. Fonteium, qui a. 685/69 accusatus est, sequenti anno Neapoli domum emisse, minime inde concludi potest, eum absolutum esse.

Primum enim quod Drumannus negat, exsulem Neapolim profecturum fuisse, concedo. Sed omnino non video,

40) Liceat mihi hoc loco erroris mentionem facere, in quo versatus est Klotzius (in: Anmerkgen zu der 1. Verhandlung gegen Verres §. 39). Inductus enim Ps. Asconii commentar. in Cic. act. II in Verr. lib. II, p. 163 Or. putat, eum fuisse agendi ordinem in altera actione, ut prior patronus dixerit, tum responderit accusator. Quae sententia non solum eo redarguitur, quod Cicero in *altera actione* defendens Fonteium dicit l. modo citato: „M. Fonteius ita duabus actionibus *accusatus est*, ut e. t. c., sed etiam quod Cicero in actione II in Verrem semper ita dicit, quasi Hortensius post ipsum dicturus sit quodque et in Fonteianae et in Flaccianae extrema parte ita reos defendit, tamquam illico iudices sententiam laturi sint.

41) l. c. p. 335.

42) ad Attic. I, 6, 1.

quibus causis commotus Drumannus putet liberae reipublicae tempore Romae sancitum fuisse, ut repetundarum damnationem aquae et ignis interdictio sequeretur. Nam neque ex Cornelia neque ex ulla alia repetundarum lege aliter puniebantur repetundarum damnati nisi *pecuniae restitutione* atque *infamia*, in civitate autem iis vivere licebat soluta pecunia secundum litis aestimationem [43]). Neque altero argumento, quod attulit Drumannus ut demonstraret, Fonteium absolutum esse, id comprobatur. Putat enim si Fonteius pecuniam solvisset secundum litis aestimationem, eum non habuisse, unde illam domum emeret. Sed C. Verris exemplo, qui priusquam eius causa ageretur, permultas res, quas Siculis eripuerat, clam Roma abstulerat [44]), docemur facile fieri potuisse, ut idem faceret M. Fonteius.

Itaque si M. Fonteius a. 686/68 Neapolim commigravit, ideo eum Romam reliquisse arbitror, quod facilius Neapoli infamiam ac civium contemptionem se perlaturum esse speravit, quam Romae, ubi praeturam aliosque magistratus gesserat.

---

43) cfr. C. Zumptium l. c. p. 40 sq., p. 65 et A. W. Zumptium: Das Criminalrecht der Römischen Republik Bd. II, 1, p. 373.

44) cfr. Cic. in Verr. Accus. lib, I, §. 51, Plin. N. Hist. XXXIV, c. 2, §. 6.

IV.

Quomodo fragmenta orationis pro Fonteio sint ordinanda.

Ciceronis pro M. Fonteio oratio quamquam iis annumeranda est, quarum singulae tantummodo partes supersunt, tamen virorum doctorum opera ac sagacitate factum est, ut bis hoc saeculo eius fragmenta novis inventis adaugerentur.

Nam ante initium huius saeculi ea tantum orationis pars nota erat, qua de propraetura Fonteii agitur (in editionibus §§ 11—49). Quae pars non solum in codice Vaticano, qui est vetustissimus ac praestantissimus[1]) quique in tabulario basilicae Vaticanae asservatur, invenitur, sed etiam pluribus in aliis minoris pretii codicibus, quorum Salisburgensem aulicum n. 34 nunc cod. Lat. Monacensem 15734 nominasse satis sit.

Praeterea ante id tempus innotuerant nonnulli loci, quos ex Ciceronis pro Fonteio oratione depromptos laudaverant Quintilianus, Aquila Romanus, Ammianus Marcellinus, Martianus Capella, Iulius Victor.

Anno autem 1820 tria nova Fonteianae fragmenta in publicum prodierunt, primo edita a B. G. Niebuhrio[2]).

Cum enim Paulus Brunsius et Vitus Iuvenatius in nobili illo codice Palatino bibliothecae Vaticanae, qui Tobiae,

1) cfr. de eo Bursianum in Baiteri Halmiique Ciceronis operum editione altera 2, p. 1223.

2) l. c.

Iudithae, Iobi, Estheris libros[3]) nono fere post Chr. n. saeculo scriptos[4]) continet totusque ex membranis palimpsestis constat, T. Livii annalium fragmentum invenissent, et certis Cancellarii, Galletti Amadesiique testimoniis confirmatum esset, praeter illud Livianum fragmentum etiam alias veterum scriptorum relliquias ibi servari, Niebuhrius codicem summa cura ac diligentia pertractavit et pervestigavit et ex eo cum alios usque ad id tempus absconditos antiquitatis thesauros tum tria nova fragmenta Fonteianae eruit.

Quibus fragmentis quamquam ex iis nonnullas res ad accuratiorem cognitionem causae Fonteii vel utilissimas discimus, tamen eo aliquantum honoris decedit, quod paginarum titulis carentia variis dispersa locis in illo codice exstant[5]) ob eamque causam ne inter se quidem continuantur.

Quaeritur igitur, quomodo sint disponenda. Atque hoc primum constat, cum in unoquoque de Fonteii quaestura agatur, in tertio autem quod voluit esse Niebuhrius legatio Hispaniensis commemoretur, quae consecuta est quaesturam, iure ei a Niebuhrio tertium locum attributum esse.

Duo autem reliqua fragmenta Niebuhrius, quia tam in eo, quod ipse secundum fecit, quam in tertio de testibus furti contra M. Fonteii quaesturam, in primo vero de re longe diversa, scilicet de solutione quadrantaria secundum legem Valeriam dissereretur, ita disponenda esse censuit ut in editione sua[6]) disposuit. Niebuhrium in digerendis illis fragmentis omnes Fonteianae editores secutos esse video. Et ipse ad illius sententiam accedo, quamquam doleo me non certius argumentum invenire posse, quo eam fulciam. —

3) cfr. Niebuhr. l. c. p. 9.
4) ibid. p. 12.
5) cfr. ibid. p. 22, p. 41.
6) p. 53 — 64.

Tres et viginti anni exacti erant, postquam Niebuhrius fragmenta illa ab ipso inventa edidit, cum denuo viris doctis spes affulsit, fore, ut nova fragmenta ad eas partes Fonteianae accederent, quae iam publicatae erant.

Anno enim p. Chr. n. 1843 Theodorus Oehler Francofurtensis Baitero Turicensi nuntiavit, se in codice coenobii cuiusdam tractus Rhenani inferioris praeter alia fragmenta quadraginta fere versus ineditos Fonteianae invenisse unumque fragmentum [7]) cum eo communicavit [8]). Cum autem haud ita mullo post Oehler mortuus esset, frustra viri docti ab eius fratre impetrare studuerunt, ut schedas defuncti vel codicis exemplar sibi traderet. Homo enim illiberalis mortui thesaurum „draconis instar" custodiebat, exspectans haud dubie, dum aliquis veniret, qui singulos versus numis aureis redimere vellet [9]).

Tandem ille codex inventus est in bibliotheca nosocomii vici Cusae (Cues), siti haud procul ab oppido Berncastel ad Mosellam diligenterque est descriptus a I. Kleinio (in libello, cuius est titulus: Ueber eine Handschrift des Nicolaus von Cues nebst ungedruckten Fragmenten ciceronischer Reden, Berlin 1866).

Nicolaus enim de Cusa, illustrissimus ille aevi medii cardinalis illud nosocomium condiderat moriensque bibliothecam suam, maximo hebraicorum, graecorum et latinorum codicum numero ornatam in posterum tempus ibi servari iusserat. Etiam nunc Cusae et aliae eius relliquiae inveniuntur et codex miscellaneus C. 14, cuius altera pars undecimo, altera duodecimo saeculo scripta est.

Ea libri manuscripti pars, de qua paulo uberius hoc

---

7) in eo Kleinii libello, de quo statim accuratius dicam p. 61 Nr. 22.

8) cfr. Rhein. Mus. 1843, I, p. 130, p. 302.

9) cfr. Halmium in Philol. IV, p. 373 sqq., ad Ciceron. opera II, 1, p. 465. 472. 476, 2, p. 1066.

loco dicendum est quamque Kleinius[10]) undecimam esse affirmat, viginti et sex folia continet, quorum in unoquoque duae columnae et septuaginta fere versus minute quidem, sed eleganter scripti inveniuntur. Sub titulo „Incipiunt verba Graecorum" plurimi loci ex poetis et scriptoribus cum antiquitatis tum rerum ecclesiasticarum eo haud dubie consilio electi et ordinati sunt, ut vel praecepta de moribus vel synonyma continuarentur.

Plerumque illi loci eodem ordine dispositi sunt, quo in eo libro, unde deprompti erant, sequebantur, eundemque morem librarium servasse gaudemus in ordinandis iis locis, qui Fol. 15. v. col. 2 sqq. continentur quique pertinent ad Ciceronis orationem in Pison., ad libr. de Invent. 2 §. 159—167, ad Rhetor. ad Herenn. 3 §. 37, ad orat. pr. Fonteio, pro Flacco, ad Philippicas et paradoxa[11]).

Quod ad fontem pertinet, ex quo fragmenta *orationum* Ciceronis in Codice Cusano inventa hausta sunt, plures ob causas, quas hic exponere longum est[12]), constat ea petita esse ex codice Vaticano H. 25, de quo iam supra exposui, librariusque, qui illa fragmenta collegit, eo codice toto atque integro usus est.

Orationis pro Fonteio (iam enim ad eam mihi redeundum est) in Codice Cusano viginti et unum omnino fragmenta servata sunt. Atque id ipsum, quod quis dolere possit, librarium quattuor eorum ex partibus orationis iam ante a. 1866 publicatis petivisse, peropportune est factum. Cum enim tria fragmenta Cusana, quae ultima sunt (19. 20. 21) eodem ordine in codice Vatic. inveniantur (in editionibus §§ 32. [22] 40. [30] 49. [39]), quo scripta sunt in Cusano ob eamque causam putare liceat, *omnia* in codice Cusano

10) l. c. p. 13 sqq.

11) cfr. Klein. l. c. p. 56, p. 79.

12) delego ad Kleinium l. c. p. 80 sqq. et H. Sauppii recensionem libelli Kleinii in: Göttinger Gel. Anzeig. 1866, Stück 40, p. 1580 sqq.

ordine a librario exscripta esse, decimum autem fragmentum Cusanum in *primo* fragmento ex codice rescripto Vaticano a Niebuhrio edito legatur, certo inde efficitur, quomodo omnes illi loci sint disponendi.

Itaque Kleinius[13]) hunc in modum servata Fonteianae fragmenta ordinavit: I Fragmenta ex codice Cusano ab ipso edita 1—9; II Fragmenta ex codice palimpsesto Vaticano a Niebuhrio edita; III Fragmenta ab aliis scriptoribus servata, IV Pars orationis in codicibus vulgaribus servata, et Sauppius[14]) eam fragmentorum a Kleinio inventorum et editorum dispositionem comprobans haec dicit: „Da das 10. dem von Niebuhr aufgefundenen Bruchstück §. 2, die drei letzten dem im V erhaltenen Theile der Rede (§. 32. 40. 49) angehören und alle, wie Klein nach dem Beispiel namentlich der Excerpte aus den Philippicae mit Recht angenommen hat, der Folge der Rede selbst nachgehen, so fallen 1—9 in den Anfang vor Niebuhrs Bruchstück, 11—18 zwischen diess und den im Verhaltenen Theil."

Quibus viris doctis nullo modo *prorsus* assentior. Quamvis enim concedam, iure eos putare fragmenta Cus. 1—9 ponenda esse ante fragmenta a Niebuhrio inventa, tamen in disponendis fragmentis Cus. 11—18 Kleinium rem haud parvi momenti neglexisse, Sauppium autem aperto in errore versatum esse miror. Neque enim — et Sauppius falso id putat — Niebuhrius *continuam* Ciceronis pro Fonteio orationis partem in cod. illo rescripto, sed tria eius orationis fragmenta variis dispersa locis invenit. Quamobrem cum eo tempore, quo oratio *integra* legebatur, haec tria fragmenta plurimorum versuum intervallis inter se disiuncta fuisse verisimile sit, Kleinio et Sauppio, antequam obtinerent fragm. Cus. 11 sqq. *post* fragmenta Niebuhriana

13) l. c. p. 57 sqq.
14) l. c. p. 1583.

ponenda esse, demonstrandum erat, illa non ad *lacunas* pertinere, quae frag. Nieb. I et II sequuntur. Hoc quidem constare mihi videtur, frag. Cus. 12 sqq. non ponenda esse post primam aut alteram lacunam. Nam cum in tertio quod invenit Niebuhrius fragmento Cicero de triumviratu et quaestura Fonteii (quos magistratus *Romae* eum gessisse supra demonstravi) dicere desinat et ad *legationem Hispaniensem* transeat, in fragmento vero Cusano 12 sqq. non nisi de *bellica laude* Fonteii disseratur, fragmentum Cusan. 12 sqq. *post tertium* fragmentum Nieb. est collocandum.

Fragmento autem Cus. 11 utrum post primam alteramve lacunam an post tertiam locus attribuendus sit, diiudicare non ausim, cum verba „Versutissimum hominem et in fallendo exercitatissimum" haud dubie referenda sint ad unum ex adversariis Fonteii et in eos saepius invehi potuisse Ciceronem pateat.

Atque haec hactenus. Nunc quo modo fragmenta ab aliis scriptoribus servata disponenda sint, videamus. Kleinius haec, insistens haud dubie *omnium* Fonteianae editorum vestigiis, qui ea inter fragm. Nieb. et partem in codic. vulgaribus servatam posuerunt, inter fragmentum Cus. 18 et partem orationis in codd. vulgar. servatam posuit[15]). Cui dispositioni Sauppius summo iure obiecit[16]), facile fieri potuisse, ut illa fragmenta quondam in integrae orationis principio vel in alia eius iam non servata parte legerentur. Cur autem Sauppius illa fragmenta aut ante aut post *omnes* Fonteianae relliquias ponenda censeat, minime video, cum praesertim partim firmis partim probabilibus argumentis doceri posse putem, ad quas integrae orationis partes singula fragmenta pertinuerint.

Quod priusquam faciam, commemoro illorum locorum

15) l. c. p. 61 sqq.
16) l. c. p. 1584.

quos dispositurі sumus non nisi duos[17]) proprie „fragmenta“ dici posse. In tribus enim aliis illorum locorum, qui inveniuntur apud Quintilianum, Ammianum Marcellinum, C. Iulium Victorem quique plerumque fragmenta nominantur, illi scriptores non Ciceronem ipsum loquentem induxerunt, sed ut redderent, quae Cicero dixerat, accusativo cum infinitivo sunt usi, quamobrem etiamsi orationem obliquam directa mutaremus, *Ciceronis* verba nos legere pro certo non possemus affirmare. Uno autem loco, qui invenitur apud eundem illum Iulium Victorem[18]), quemque ignorasse videtur Kleinius Ciceronis verba servari ne coniicere quidem licet, sed eo breviter tantum dicitur, Ciceronem in parte orationis uberius de dissimilitudine Verrinae et Fonteianae causae egisse.

Nihilo vero minus cum vix nomen inveniri possit, quo aptius eos appellemus, usitato more fragmenta eos nominabo.

Ac primum de eo mihi videtur dicendum esse, cuius modo mentionem feci.

Iulius Victor dicit: „Et quemadmodum supra quaerebamus, quid esset simile, ita et e contrario consideremus, quid in se dissimile habeat ea res, quae in quaestionem venit, ut *pro Fonteio M. Tullius exsequitur, quod eius causa non sit eadem, quae Verris.*“

Huic fragmento Kayser[19]) locum attribuendum putat post fragm. Cus. 15. Iniuria, ut mihi quidem videtur.

Iam enim supra ex eo fragmento concludere me posse putavi, Fonteii causam a. 685|69 actam esse et quicunque argumentationem meam approbavit, libens concedet, nullo loco dissimilitudine causae Verris et Fonteii explicanda melius se excusare potuisse Ciceronem quod, cum anno ante

17) servata a C. Iulio Victore ars rhet. VI, 2, p. 397 H. et ab Aquila Rom. de fig. sent. et elocut. §. 35 p. 33 H.

18) 400, 12 ed. H.

19) in Baiteri Kayserique editione Cic. oper. Vol. XI, p. 2.

Verrem repetund. accusasset, tum Fonteium eiusdem criminis reum defenderet, quam in *principio* orationis.

Eum autem, qui sententiam meam nisi exemplis huius rei prolatis non probabilem esse iudicat, delego ad principium[20]) eius orationis, qua Cicero consul L. Murenam, cos. designatum *de ambitu accusatum* a. 691|63 defendit, quamquam rectum esse negatum sit Ciceronem „et consulem et *legis ambitus latorem* et tam severe gesto consulatu causam L. Murenae attingere." Ac similiter se excusare Ciceronem in exordio eius orationis, quam pro P. Cornelio Sulla habuit, ex § 2 seqq. eius orationis facile cognoscis.

Cum hoc C. Iulii Victoris fragmento aliud coniungendum esse existimo, quod legitur apud eundem scriptorem[21]) quodque in *principio* orationis pro Fonteio fuisse nemo infitias ire potest, quia Iulius Victor id inde se petivisse ipse profitetur. Audiamus ipsius verba: „Licet etiam principales quaestiones in *principio* praecerpere, sed praecursu solo atque tactu, non ut de his quaeri videatur, quomodo pro Flacco et pro Fonteio M. Tullius *nihil agi illo iudicio, nisi ut magistratus in provinciis non audeant imperare sociis, quod ex usu reipublicae sit.*"

Id fragmentum cum idem eo exprimatur ac capitis III §. 7 partis orationis in codd. vulgar. servatae: „Dubitabitis etiam, quin illud, quod *initio* vobis proposui, verissimum sit, aliud per hoc iudicium nihil agi nisi ut M. Fonteio oppresso testimoniis eorum, quibus multa reipublicae causa invitissimis imperata sunt, segniores posthac ad imperandum ceteri sint" ex hoc loco neque ex ipso principio orationis haustum esse a I. Victore putat C. F. W. Mueller[22]). Qua opinione minime moveor. Cum enim Victor praeter hoc

20) II, §. 3.
21) 423, 10 H.
22) cfr. Philologus XX, p. 519.

fragmentum duo alia memoriae tradiderit, quae ex partibus Fonteianae non iam servatis deprompta sunt, quin ex *integra* oratione petiverit non est dubitandum. Sed etiamsi verum esset, quod obtinuit Mueller, non haberemus, cur doleremus. Nam eo facilius illo fragmento caremus, quod eodem Fonteianae loco, quo Mueller confirmari putat, Iul. Victorem non ex principio petivisse, luculentissime comprobatur, Ciceronem si non iisdem, at similibus verbis in proœmio exposuisse, nihil agi illo iudicio, nisi ut magistratus in provinciis non auderent imperare, quod ex usu reipublicae esset.

Nec quo vinculo hoc fragmentum cum eo, quod primum feci, cohaereat, difficile est dictu. Ut enim priore Cicero *generatim* atque *universe* loquitur de dissimilitudine causae Verris et Fonteii, sic secundo *singulatim* explicare incipit, *cur* illae causae dissimiles sint. Illo enim iudicio actum esse, ut Verre damnato in posterum tempus proconsules et propraetores Romani desinerent avare ac crudeliter provincias administrare, hoc nihil aliud agi, nisi ut condemnato Fonteio magistratus in provinciis segniores posthac ad imperandum sint.

Hoc modo Verris et Fonteii causam conferens Cicero mihi etiam de hominibus videtur uberius dixisse, qui in utroque iudicio prodierint. Ante omnes autem eum comparasse puto Verrem, hominem nefarium ac sceleratum cum Fonteio iniuste accusato, tum se ipsum, qui innocentiae atque integritatis laude insignis Verrem accusaverit, cum Plaetorio, accusatore maligno ac malitioso. Nec vero solum publicam, sed etiam privatam Plaetorii vitam Ciceronem perstrinxisse et castigasse ex fragmento apud Quintilianum [23]) servato elucet, quo mala fama Plaetorii matris commemoratur quodque vix ex alia integrae orationis parte depromp-

23) VI, 9, 51.

tum esse potest, nisi ex principio. Quintiliani autem verba haec sunt: „Pervenit res (amphibolia) usque ad aenigma, quale est Ciceronis in Plaetorium, Fonteii accusatorem, *cuius matrem dixit, dum vixisset ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse.* Dicebantur autem dum vixit, infames feminae convenire ad eam solitae, post mortem bona eius venibant."

Denique etiam de *testibus* in Fonteium, de quibus in posteriore orationis parte[24]) pluribus verbis disseruit, iam in exordio breviter dixisse eorumque auctoritatem infringere studuisse Ciceronem constat. Nam ad eos referenda esse fragmenta Cus. 1—2 verisimillimum, 3—5 certum esse concedes. Haec autem fragmenta *post* ea, quae apud Iulium Victorem et Quintilianum inveniuntur et de quibus iam dictum est, ponenda esse ideo arbitror, quod probabilius est Ciceronem *prius* de *accusato* et de *accusatore* locutum esse, quam de *testibus*.

De exordio Fonteianae dixi: age, sis, nunc de *narratione* videamus. Cuius quamquam non nisi exiguae relliquiae manserunt, tamen ex iis satis bene perspicere possumus, quae Cicero in illa dixisse videtur. Atque id quidem primum constat, eum in narratione non solum ea protulisse, quae per triennium illud, quo Fonteius Galliae praefuit in ea provincia gesta erant, verum etiam eas attigisse res, quas Cn. Pompeius superato Lepido ac pacata Gallia in *Hispania* gesserat inde ab exeunte anno 677/77[25]). Ipsius autem Fonteii singulas res in Gallia gestas in narratione ordine edocuisse iudices Ciceronem, pluribus ac certis testimoniis comprobatur. Primum loco Fonteianae[26]), cuius usque ad hunc diem nulla ratio videtur habita esse. Ibi

24) §. 21 [11] sqq.

25) cfr. fragm. Cus. 6. 7, maxime autem 8: „Cn. Pompeii, summi imperatoris ac fortissimi viri gestum est subsidiis."

26) §. 18 [3].

enim cum Cicero dicat: „Est item urbs Massilia, *de qua ante dixi*, fortissimorum fidelissimorumque sociorum, qui e. t. c.“, sponte apparet, voce „ante“ relegatos esse auditores ad eam orationis partem, in qua explicatum erat, quanta virtute quantisque periculis Fonteius Massiliam obsidione liberasset.

Tum id confirmatur loco Aquilae Romanae[27]): „*Ἀντιστροφή*, conversum. Species huius figurae cum eandem fere vim habeat, contraria est superiori (scil. *ἐπαναφορᾷ*), eo quod ibi ab eadem parte orationis saepius incipitur, hic in eandem partem desinitur. Cuius modi est haec pro Fonteio: *„Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimae copiae e Gallia, equites numero plurimi e Gallia.*“

Hoc Aquilae loco ipsius Ciceronis verba nobis reddi, non est quod negemus. Quapropter cum etiam § 13 partis Fonteianae in codd. vulgar. servatae similibus quidem, nec vero iisdem verbis referatur, Fonteium eis Gallis, qui arma contra Romanos capere non ausi sint, equitatum, pecunias, frumentum imperasse, illud fragmentum sine dubio ex narratione Fonteianae petitum est.

Denique Ciceronem in narratione etiam de portorio vini dixisse, quod Fonteius in Gallia instituerat, discimus ex Ammiano Marcellino[28]): „Vini avidum genus (Gallorum) adfectans ad vini similitudinem multiplices potus, et inter eos humiles quidam obtusis ebrietate continua sensibus, quam furoris voluntariam speciem esse Catoniana sententia definivit, raptantur discursibus vagis: ut verum illud videatur, quod ait defendens Fonteium Tullius, *„Gallos posthaec dilutius esse poturos, quod illi venenum esse arbitrabantur.*“

---

27) de fig. sent. et eloc. §. 35 p. 33 H., ex Aquila Martianus Capella V, 534, p. 179 ed. Eyssenhardt eum locum repetiit.

28) XV, 12, 4.

Quaeritur, quomodo verba: „Gallos — poturos“ accipienda sint. Ac recte intellexisse ea puto Wagnerum [29]), qui haec ad illum locum annotavit: „Hoc sine dubio voluit Fonteius: Gallos, meri antea potatores, quique vinum aqua dilutum ut venenum abhorruissent, nunc (i. e. portorio vini instituto) aquam tamen adfusuros indeque lucraturos esse hoc, ut placidiores, minus rixosi saniorisque mentis compotes essent.“

Minus autem probare possum, quod Wagnerus et post eum Drumannus [30]) putaverunt, Ammiani verba pertinere ad lacunam post §. 20 [10] obviam. Iure enim Niebuhrius [31]) innixus loco C. Plinii [32]) mihi videtur obtinere etiam titulos „De crimine vinario“ „De bello Vocontiorum“ „De dispositione hibernorum“, qui post §. 20 [10] Fonteianae inveniuntur et in antiquissimo codice minio scripti sunt, Ciceronis ipsius esse eumque, quae uberius de illis *dixerat*, in *edenda* oratione titulis tantum indicasse. Certe librarii desidia aliove casu factum esse, ut illa lacuna exsisteret, verisimile non est. Itaque quaeritur, cui orationis parti illud fragmentum, quod apud Ammianum legitur, sit attribuendum. Equidem iudico in narratione id fuisse, in qua praeter ceteras res a Fonteio institutas etiam portorium vini commemorasse Ciceronem nemo infitias ibit.

Ac de narratione hactenus. Post eius relliquias collocandum puto fragm. Cus. 9: „Quid pugnant? quid struunt? quid nituntur?“, quod ex eo orationis loco depromptum esse

---

29) in editione sua Ammiani Bd. II, p. 171.

30) l. c. p. 333.

31) l. c. p. 40 sq.

32) Epist. I, 20, 7: Testes sunt multae multorum orationes et Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis et nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur. Ex his apparet illum permulta dixisse, cum ederet omisisse.

mihi videtur, quo Cicero a narratione ad sequentem orationis partem transiit.

Neque vero, quod exspectes, narrationem statim probatio in Fonteiana secuta est, ut in Miloniana, quae iure optime ordinatarum orationum exemplar habetur[33]), sed *probatio extra causam.* Ac quamobrem eum singularum orationis partium ordinem Cicero esse voluerit, perspicuum est. Nam in probatione (sive mavis argumentatione) de *propraetura* Fonteii oratori dicendum erat, in probatione vero extra causam de iis muneribus, quae *ante* propraeturam gesserat Fonteius.

Itaque disseruit Cicero in probatione extra causam de triumviratu Fonteii, de quaestura, de legationibus Hispaniensi et Macedonica, de praetura, in eaque redarguere studuit Plaetorium, qui ut Cicero cum Verrem accusaret, non solum eius propraeturam, sed omnes magistratus ab illo gestos attigerat.

Ex hac orationis parte petitum esse videtur fragmentum, quod legimus apud eundem illum C. Iulium Victorem[34]): „In re autem coniectura argumenta ducuntur a toto, a parte, a genere, a specie, a differentia, a proprio, a definitione, a nomine. A toto: „si totam rem publicam prodidit, quod ex multis rebus ostenditur, non est incredibile eum classem et equitatum prodidisse." Et ut M. Tullius in defensione pro Fonteio: *„si nulla pecunia numerata est"*, quod est totum, *„cuius pecuniae quinquagesima est?"* quod est pars." — Quod fragmentum cum haud dubie ibi fuerit, ubi de pecuniis agebatur, quas Fonteius aut solverat aut acceperat, posuerim post fragm. Nieb. I, quamquam eodem iure id vel post fragm. Nieb. II vel ante Nieb. I collocari posse non ignoro.

33) cfr. pr. Milon. XII, 32 sqq.

34) Cap. VI, §. 2 (de locis in re) p. 397 H.

Uberrime Cicero de propraetura Fonteii locutus est in *argumentatione* (pars in codd. vulg. serv. I, 1—XIV, 30). Quinque potissimum crimina in ea refellere studuit: quod reus aere alieno Galliam oppressisset (I, 1—III, 7), quod quaestum fecisset in imperata viarum munitione (IV, 7—9), quod portorium vini instituisset (V, 9—10), quod contra Vocontios (crudeliter) bellum gessisset, quod hiberna iniuste disposuisset.

Praeterea autem, quod iam commemoravi, Cicero in hac orationis parte multis verbis dixit de *testibus* variisque modis eorum auctoritatem minuendo Fonteium purgare conatus est (VI, 11—XIV, 30).

Sequitur tandem *peroratio* (XIV, 31—XVII, 39), in qua denuo prolatis omnibus causis, quibus innocentia Fonteii comprobetur, misericordiam iudicum commovere studet orator, quod idem cum in multis aliis orationibus tum in Miloniana Ciceronem videmus fecisse. —

Sed iam satis superque de Fonteianae dispositione. Unum restat, ut illa fragmenta, de quibus copiose dixi, breviter nunc in uno conspectu posita repetam, quo facilius cognoscatur, quae de eorum ordine censeam:

I. Exordium.

I, 1. Pro Fonteio M. Tullius exsequitur, quod eius causa non sit eadem quae Verris.
(C. Iulius Victor 400, 12).

2. Nihil agi illo iudicio, nisi ut magistratus in provinciis non audeant imperare sociis, quod ex usu reipublicae sit.
(Ibid. 423, 10, Pars orat. in codd. vulg. servat. §. 7).

3. Plaetorii matrem, dum vixisset ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse.
(Quintil. inst. or. VI, 9, 51).

4. Illud vero quid est?[35]) quam habet in se rationem, quam consuetudinem, quam similitudinem veritatis? Quod ratio, quod consuetudo, quod rei natura respuit, id credendumne est? (fragm. Cus. 1).
5. Numquid inquam[36]) iniquissimo disceptatori haec suspitio relinquenda est? (fr. C. 2).
6. Quid potest auctoritatis habere testis in dividendo suo testimonio falsa veris miscens? (fr. C. 3).
7. Hoc ipso argumento cetera testimonia repudiare debetis. (fr. C. 4).
8. Latebra mendacii. (fr. C. 5).

II. Narratio.

II, 9. Cn. Pompeius eximia virtute et felicitate in Hispania bellum gessit. (fr. C. 6).
10. Industria ac studio. (fr. C. 7).
11. Cn. Pompeii, summi imperatoris et fortissimi viri, gestum est subsidiis. (fr. C. 8).
12. Massilia (obsidione a Fonteio liberatur). (§. 3 part. or. in codd. vulg. serv.).
13. Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimae copiae e Gallia, equites numero plurimi e Gallia. (Aquil. Rom. 33, 14, Mart. Capell. V, 534 p. 179 ed. Eyssenh.)
14. Gallos post haec dilutius esse poturos, quod illi venenum esse arbitrabantur. (Ammian. Marcell. XV. 12, 4).

35) sic enim scribo cum Kaysero pro „Illud vero quidem quam e. t. c.“ quod exhibet cod. C.

36) inquam iure Sauppius scripsit pro cuiquam.

15. Quid pugnant? quid struunt? quid nituntur? (fr. Cus. 9).

III. Probatio extra causam.

III, 16—17. Fragmentum a Niebuhrio editum I.

18. Si nulla pecunia numerata est, cuius quinquagesima est?

(Iul. Victor ars rhet. VI 2 p. 397 H.).

IV, 19. Fragmentum a Niebuhrio editum II.

V, 20—22. Fragm. a Niebuhrio editum III.

VI, 23—30. Fragmenta Cusana 11—18.

IV. Argumentatio.

VII, 31—XX, 59: Pars in codd. vulg. servata.

V. Peroratio.

XX, 60—XXIII, 69: Pars in codd. vulg. servata.

Vita.

Augustus Reinholdus Schneider, natus sum die XXV mensis Decembris a. h. s. LI in oppido Callnberg, quod est situm inter Zwiccaviam et Chemnitiam. Pater meus, Augustus Schneider, qui tum verbi divini interpretis munere inter Callnbergenses fungebatur, nunc peractis muneris laboribus Grimae merita quiete et otio fruitur. Mater mea infanti mihi praematura morte erepta est. Primis litterarum elementis et a patre et ludo publico imbutus sum. Sed cum ad litterarum studium me conferre in animo haberem, traditus sum gymnasio Zwiccaviensi, quod primum Ilbergo, tum Erlero directore florebat. Cum maturitatis testimonio a. 1872 dimissus studiis philologicis in academia Lipsiensi per quattuor fere annos me dedidi scholasque frequentavi Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Fritzschii, Gardthauseni, Hildebrandi, Langii, Lipsii, Pueckerti, Ritschelii, Seydelii, Voigtii, Wenckii, Zarnckii. Quibus quidem viris doctissimis omnibus hic gratias ago, sed si unum ex eo numero depromere mihi licet, maximas gratias ago Langio, qui ea, qua est doctrina et comitate erga tirones effecit, ut antiquaria studia summo amore et amplexus sim et sim amplexurus.

Pamphlet
Binder
Gaylord Bros.
Makers
Syracuse, N. Y.
PAT. JAN 21, 1908

580422

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY